

*Servos Domini prebensos contumeliis afficiunt, quin imo crudeliter trucidant. Matth. XXII, 6. Scribebat itaque Paulus ex propria experientia: Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem validi: vos gloriosi, nos ignominiosi. 1. Cor. IV, 9. 10. Expertus id erat Athenis, ubi saluberrima quæque docens, spermologus appellabatur, imo etiam sannis excipiebatur. Act. XVII, 18. 32. Hac ipsa experientia edoctus non poterat non Timotheum monere, ne, si contumeliis, & injuriis expositus fuerit, animo laberetur, sed eos grata mente perferret, Deoque vindictam deferret. At vero præter hoc idem Apostolus tacite volebat Timotheum docere, ne ipse se talem in munere sacro gereret, qui & juventutem suam, & ignorantiam, & metum, & imprudentiam, & impietatem, incaute, ut forex, proderet. Necessaria profecto & saluberrima admonitio. Sunt enim Ecclesiæ ministri æque, ut alii, infirmi homines, facileque cespitare in multis possunt. At vero, cum aliis præire, aliis prælucere, alios docere, alios ducere debeant, curandum ipsis est, ne de-*